

cooperari. Addunt vero Navarrus et Cajetanus non esse mortale non depellere concupiscentiam istam ex quodam contemptu, quando nullum est prorsus periculum consensus voluntatis, licet etiam speraretur fore, ut depelleret concupiscentiam, si conaretur: sed mihi hoc non placet: quia non tantum ratione periculi consensus, sed per se quis tenetur vitare istam concupiscentiam, si facile potest: neque excusat dictus contemptus, quia ille tunc non est bonus, quia est contra legem; addo tamen illam causam vere non tam esse ad non depellendam delectationem, quam ad non depellendam tali modo, scilicet positive agendo, et quasi resistendo illi, nam negative, et quasi fugiendo tenetur illam pellere, id est, revocando mentem ad alias cogitationes, nam hoc semper potest prodesse, et non obesse. Secunda causa quæ ab omnibus probatur, est quando ad depellendam illam concupiscentiam necessarium est omittere aliquam actionem honestam, ut studium et confessionem, etc.; ablato enim periculo consensus affirmativum præceptum non obligat cum tanto discrimine, præsertim cum ille motus naturalis per se non sit malus moraliter. Confirmatur, quia alias homines deberent semper esse solliciti, et multa bona prætermittere. Vide Cajetanum, t. 1, opusc., tract. 22. Quanta vero, et qualis debeat esse utilitas istius operationis, varie explicatur ab auctoribus, et non potest certa regula præscribi, solum sunt advertenda duo. Primo considerandum est, an opus ex natura sua sit aptum natum ad excitandam istam concupiscentiam, nam tunc fere semper vitandum est, quando non est ingens utilitas, vel necessitas. Vide Cajetanum, verbo *Interrogatio*. Si vero opus non ex natura sua id habet, sed per accidens, raro tenetur homo illud relinquere propter concupiscentiam suborituram, quia ea quæ sunt per accidens, proprie non cadunt sub lege. Item, quia sæpissime id fit tentatione dæmonis, qui inde sumit occasionem: nam non solum quando honestum est opus, sed interdum, etiamsi alias sit malum, tamen utile ad res humanas, ut agere iter, etc., non tenemur illud omittere, ne sequatur concupiscentia, quæ est communis sententia. Advertendum secundo, qualis sit concupiscentia, quæ sequitur, nam quanto illa fuerit gravior, aut magis consummata, tanto majori studio excutienda, unde oportebit interdum omittere aliquam actionem, si sit periculum talis concupiscentiæ, non vero si sit minoris, et eodem modo minori culpa vitanda sunt ista, quando statim, et in

vigilia timentur, quam si in futuro, et in somno timeantur, quia illa sunt minus humana, et minus certa, et minus periculum consentiendi, quod in hac materia semper non nihil timendum est, teste Augustino, libr. de Honestate mulierum, et Hieronymo, epistola ad Eustochium, de Virginitate.

SECTIO VIII.

An in potentiis exterioribus sit peccatum.

1. Hæc quæstio expedita est supra ex dictis de malitia morali, tractatu 3, disp. 10, et ideo nunc summam ibi dicta proponemus. Prima propositio. Actus exteriores per se sunt objective mali, atque adeo peccata: licet hæc peccati denominatio secundum usitatum loquendi modum non proprie objectis, sed actibus, ut actus sunt, tribuatur.

2. Secunda propositio. Actiones istæ, ut a propriis principiis procedunt, non habent quod sint peccata: id probatur, quia ut sic, non sunt actus vitii.

3. Tertia propositio. Istæ actiones dicendæ sunt simpliciter peccata quatenus a voluntate procedunt, licet tota malitia et deformitas sit per denominationem ad voluntatem. Hæc ultima assertionis pars constat satis ex superioribus: prior vero probatur ex communi modo loquendi Scripturæ, nam Matth. 5 et 15, et ad Romanos 6, et 1, ad Corinth. 6, ad Gal. 5, istæ actiones vocantur *peccata*: item ex definitione Augustini peccatum est *dictum, vel factum, etc., contra legem Dei*: certum est autem istas actiones etiam esse lege prohibitas. Confirmatur, quia non tenemur confiteri nisi peccata, tenemur autem confiteri istas actiones exteriores. Tandem ratio propria est, quia istæ actiones ex natura sua subjiciuntur voluntati, et procedunt ab illa, et ideo ab illa, tanquam a forma, et principio denominantur; et hanc esse sententiam divi Thomæ constat, tum ex dictis de omissione exteriori, tum ex his, quæ ipse docet prima secundæ, quæstione octuagesima prima, articulo primo.

4. Solum obstat quod idem divus Thomas, quæst. 74, art. 2, ad 3, dicit actionem exterioriorem non esse peccatum etiam denominatione extrinseca, nam hoc dicit differre ab actione appetitus sensitivi, cum tamen in nostra sententia nulla videatur esse differentia. In qua re Cajetanus et Thomistæ valde laborant. Ego vero dico quoad rem ipsam, re vera nullam esse differentiam; tamen, ut jam supra

iterum insinuavi, secundum appropriationem, potest esse aliqua: nam quia appetitus sensitivus a principio intrinseco movetur in bonum et malum, quod est proprium motus voluntarii: membra autem exteriora moventur solum ut organa quædam, ideo peccatum magis attribuitur appetitui sensitivo, quam exterioribus membris, quod etiam ideo observavit divus Thomas, ut etiam intelligeremus, quare in appetitu sensitivo possunt esse actus vitiosi, et non in membris exterioribus. Unde etiam constat, quomodo intelligendum sit, quod supra diximus, et D. Thomas, art. 2, omne peccatum esse actum immanentem, nempe ratione illius formæ, a qua oritur peccati denominatio, licet etiam aliquæ actiones transeuntes poterunt etiam denominari peccata.

SECTIO IX.

An sit aliqua causa alia intrinseca peccati.

Causa interior peccati dici potest, vel lato modo omnis dispositio peccatoris, quæ est occasio peccandi: et hoc modo præcipue est duplex causa inter dictas, scilicet ignorantia et passio, de quibus jam diximus: alio modo potest sumi proprie causa, quæ directe, et per se influit in peccatum, et hoc modo dicenda sunt duo.

1. *Prima propositio.* — Prima propositio. Habitus etiam sunt causa peccatorum interna: patet, quia in universum habitus sunt causæ actuum. Dices, habitus minuit peccatum, quomodo ergo est causa ejus? Respondeo primo per se non minuit, imo auget, ut diximus superius. Secundo non solum augmenti, sed totius peccati est causa ipse habitus simul cum potentia; falsum est igitur quod assumitur.

2. *Secunda propositio.* — Secunda propositio. Quatenus unus actus voluntatis potest esse causa alterius, fieri potest, ut unum peccatum sit causa alterius, ita D. Thomas 1, 2, q. 75, a. 4, ubi probat, quia actus est causa habitus, deinde habitus est causa sequentium actuum; ergo et actus actuum; quæ ratio solum probat causalitatem per accidens, nisi moraliter exponatur. Aliter probatur, quia unum peccatum potest esse causa alterius eo modo, quo intentio finis est causa electionis mediorum, quem causandi modum explicat D. Thomas 1, 2, q. 84, per quatuor articulos, quem vide.

3. *Quo pacto divitiæ dicantur radix peccatorum.* — Adverte primo cum inquit appetitum divitiarum esse causam et radicem omnium

peccatorum ex Paulo 1, ad Timoth., ultimo, non esse necessariam, sed, quia ista radix est sufficiens ad importanda reliqua peccata, vel per modum pravæ intentionis, ut dictum est, et exponit Durandus 2, dist. 24, quæst. 3, vel per modum fomenti et instrumenti omnium peccatorum, nam divitiæ sunt instrumenta ad omnia vitia, ut vult D. Thomas; utroque enim modo exponitur a sanctis Ambrosio, ibi et Hieronymo et Augustino, Psalm. 105, et Isidoro 2, de Summo bono, cap. 4, et Bernardo, sermone 6, in Psalm. 90, licet locus Pauli alias habeat expositiones. Secundo adverte quod divus Thomas, eadem quæst. 84, inquit superbiam esse radicem omnium peccatorum, eodem prorsus modo esse exponendum, et non quod necesse sit: ut inquit Cajetanus, in quolibet homine peccatum superbiæ esse primum quod sit radix aliorum, nam id nulla probabilitate dicitur, neque quod referendum id sit ad peccatum primi Angeli, vel primi hominis, ut exponit Durandus, supra, sed quia iste appetitus excellentiæ est quoddam vitium, quod per se quælibet alia vitia parit, tum quia nullum est temporale bonum, quod non possit ad excellentiam aliquo modo conferre; tum quia excellentia quamdam præbet facilitatem ad transgredienda præcepta, quia non recognoscit superiorem. Ita docent sancti Isidorus, supra, cap. 38, et Chrysostomus, homilia 46, ad populum. Tandem exponit D. Thomas, in illa quæst., quomodo numerentur septem peccata quasi capita et principia aliorum, quod ipse bene declarat, vide Gregorium 31, Moral., c. 3, et Cassianum, collatione 1.

DISPUTATIO VI.

DE CAUSA EXTRINSECA PECCATI.

Vide auctorem, lib. 8, de Angelis, cap. 19. — Inter causas extrinsecas peccati de tribus posset esse controversia, homine, dæmone et Deo: cæteræ enim res cum naturaliter tantum agant, ac bona sint, de se ad bonum provocant, licet interdum homo prave illis utatur. De homine clarum est, quomodo possit esse causa peccati alterius, scilicet consulendo et præcipiendo, constat etiam quomodo esse non possit, scilicet efficiendo proprie peccatum alterius, aut efficaciter, et necessario movendo. De Angelo malo etiam patet posse esse causam peccati hominis, et inductione externa si velit, et suggestionem interna: et hoc vel proxime per seipsum, vel remote per alium. Certum

etiam est neque per se concurrere ad actum peccati in nobis, neque necessitatem posse inferre ad peccandum, de qua re multa dixi in disputatione de ministeriis Angelorum, quæ propterea omitto, cætera videantur in divo Thoma. Sequens ergo quæstio tantum discutienda restat.

SECTIO UNICA.

Utrum Deus sit causa peccati.

1. *Antiquus error affirmans.* — Antiqua fuit hæresis, quæ hoc affirmavit, habuitque originem a Simone Mago, teste Vincentio Liro-nense, in suo Monitorio, et Clemente Alexandrino 3, Stromat. Idem sentit Marcionus, apud Irenæum, lib. 4, cap. 29, Hieronymus, apud Eusebium, lib. 5, Historiæ, cap. 20, Manichæi apud Augustinum, hæresi 46, et Priscillianistæ, contra quos Leo, epistola 93. Idem sentiunt hujus temporis Lutherani, qui in hoc pejusserrant, nam alii non bono Deo, sed malo tribuebant peccata, ipsi vero tribuunt vero Deo, duplici titulo, quia scilicet hominibus negat auxilia necessaria ad peccandum, et occasiones offert, et cogit ad peccatum.

2. *Ejus fundamentum ex quadruplici genere locorum Scripturæ.* — Fundamenta sumuntur ex variis locis Scripturæ. In primo genere sunt omnia illa, in quibus Deus dicitur esse auctor generaliter omnium nostrorum operum, sive bona sint, sive mala. Jerem. 10: *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus*, Ephes. 1: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; Psalmo quadragesimo tertio: *Declinasti semitas nostras a via tua*, et 118: *Inclinacor meum in testimonia tua, et non in avaritiam*, similia habentur, Psalmo 180 et Matth. 6. Secundo in Scriptura nonnulla peccata certo tribuuntur Deo. Psal. 104: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*. Gen. 45: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*: et cap. 50: *Numquid resistere possumus Dei voluntati?* Actor. 2: *Definito consilio, et præscientiæ Dei traditum*, idem e. 4. Tertio, sunt loca, quibus Deo tribuitur execratio et induratio, de Pharaone, Exod. 9, 1 Reg., 2 de filiis Heli, Joan. 12, de Judæis, et ad Rom. 4: *Quem vult indurat*, Psal. 104, Isai. 63, Ecclesiastici 14: *Ego Dominus decepi*, Job 12: *Qui immutat corda principum, et decipit eos*: quæ loca tractans Augustinus 5, contra Julianum, cap. 7, ait Deum indurare per potentiam, non tantum per patientiam expectando. Quarto, sunt loca in quibus dæmones, qui inducunt

homines ad peccandum, dicuntur instrumenta Dei, et id facere ex præcepto Dei, 1 Reg., 16 et 18, et 2 Reg., 16: *Dominus præcepit ei, ut malediceret*, et cap. 24, *furor Domini*, etc., *commovitque Davidem*, quod per Satanam factum fuisse dicitur, 1 Paralip. 1, et 3 Regum, cap. 22: *Egredere, et fac ita, decipies*; et infra: *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore prophetarum*, 1, ad Timoth. 2: *Mittes illis spiritum erroris*. Quinto, utuntur Augustino, præcipue est ille locus 5, contra Julianum, et alius quem D. Thomas affert, 1, 2, quæst. 78, art. 1, ad 1, lib. de Gratia et lib. Arbitr., e. 21, ubi ait Deum inclinare homines ad malum, indicat potestative, et de Correctione et Gratia, cap. 7, dicit Deum elegisse Judam ad effundendum sanguinem suum.

3. *Primum argumentum pro eodem errore.* — *Secundum argumentum.* — *Tertium argumentum.* — *Quartum argumentum.* — Rationibus arguitur primo. Deus concurrat cum homine, et efficit totum actum peccati; ergo est causa peccati: nam vel ratio peccati consistit in differentia positiva, et habetur intentum: vel in privatione consequente, et nihilominus habetur intentum eo modo quo privationis potest esse causa, quia qui efficit totam formam, efficit privationem necessariam consequentem, ut late argumentatur Cajetanus, in illa quæst. 79, et D. Thomas, argum. 2, art. 2. Confirmatur, quia ipse homo non aliter efficit deformitatem peccati. Secundo, quia in isto concursu Deus efficit ut causa prima cum secunda; ergo non solum efficit, sed movet etiam voluntatem hominis ad efficiendum, nam causa secunda non agit nisi mota a prima; ergo, etc. Tertio, Deus non solum vult permittere, sed etiam vult fieri aliqua peccata, quia in sua æternitate ante permissionem omnis peccati vult multa quæ non possunt fieri sine peccato, ut voluit pati Christum, et mortes Martyrum, et similia: imo et multorum damnatio significatur in illo Proverbiorum 16: *Impium quoque ad diem malum*, etc.; ergo necesse est, ut velit etiam peccata: nam qui vult effectum, vult causam necessario. Quarto, qui est causa causæ, est causa causati, et in moralibus est causa per se, si prævidet effectum: sed Deus est causa liberi arbitrii mutabilis ad malum, et prævidet fore, ut tale liberum arbitrium infallibiliter interdum peccet; ergo, quæ unum peccatum est poena alterius; ergo ut sic, potest Deus esse causa ejus, juxta illud ad Romanos 1: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*.

4. *Prima propositio de fide.* — Prima propositio. Deus peccare non potest, est de fide, quam etiam Lutherani non negant, et patet Deuteron. 32: *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate*; Psalmo 144: *Sanctus in omnibus operibus suis*; Abacuc. 1: *Mundi sunt oculi tui*, etc., et 1, Joannis 2: *Peccatum in eo non est*: et ratio est, quia Deus summum bonum est, summa regula bonitatis, et quia posse peccare est summa imperfectio. Vide Dionysium, cap. 4, de divinis Nominibus, et Augustinum, lib. 83, Quæst., quæst. 3, et Hieronymum, epistola ad Ctesiphontem, et Damascenum, lib. 2, cap. 29, D. Thomam 1, contra Gentes, cap. 81, et 1 part., quæst. 19, art. 9.

5. *Secunda propositio bipartita de fide.* — Secunda propositio. Deus neminem cogit, aut directe movet ad peccandum. Est de fide, et prima pars patet primo ex dictis de ratione peccati: nam si actio non est libera, non est peccatum. Item si Deus infert necessitatem, non agimus contra voluntatem ejus, nam illa motio efficax Dei est per motionem absolutam ejus, nam voluntate operatur: neque potest intelligi voluntatem absolutam Dei, quæ dicitur beneplacitum, et maxime prævenientem nostram voluntatem esse contrariam voluntati nostræ signi, id est, præcepto Dei, alias simul vellet Deus, et efficaciter nos compellere ad peccandum, et obligare nos ad non peccandum, quod vel apertam contradictionem ponit in Deo, vel certe impiam quamdam tentationem agendi cum hominibus, ut dici posset cum Paulo ad Romanos 3: *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram: quomodo judicabit Deus hunc mundum*, et psalmo 5: *Non Deus volens iniquitatem*. Præterea afferri possunt hic omnia, quæ probant libertatem arbitrii, et quibus supra ostendimus esse in potestate hominis bene operari, et multa ex his probant etiam secundam partem conclusionis. Quæ confirmatur ex illo Jacobi 1: *Deus autem neminem tentat*, quod intelligendum esse de tentatione culpæ, non probationis, docet Augustinus, l. 2, de Consensu Evangelistarum, cap. 30, et 1, ad Corinth. 3, addit Paulus Deum non permittere nos tentari ultra id quod possumus, unde neque auxilium sufficiens ad non peccandum negat, ut in materia de gratia late ostendo, et patet ex illis Scripturis, quæ voluntati hominis tribuunt peccata, et esse in potestate vitandi illa, numero 14: *Nolite rebelles esse contra Dominum*; Jerem. 7: *Abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali*, et sæpe alibi. Denique tota conclusio habetur Ecclesiast. 15:

Non dicas, ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii: et infra: nemini mandavit impie agere.

6. Ratione arguitur, quia ejusdem rationis est velle aliquid, et movere, vel incitare ad illud; sed Deus non vult peccatum, nam hoc est peccare; ergo neque excitat. Respondent hæretici primo Deum velle peccatum, non tamen peccare, quia non agit contra regulam et legem. Sed contra: nam hoc est negare Deo nomen peccati, et illi tribuere turpitudinem ejus, talis est enim voluntas, quale est quod amat; ergo non potest esse voluntas amans peccatum, quin illa turpis sit. Deinde eodem modo posset Deus velle mentiri, et seipsum odio habere: ideo ergo Deus hoc non potest velle, quia seipsum negare non potest: Respondent aliter, Deum non peccare, quia movet hominem ad ista propter bonum finem: sed hoc ineptum est, quia si objectum voluntatis pravum sit, bonus finis non excusat, neque impedit malitiam voluntatis, cum non sint facienda mala ut eveniant bona, teste Paulo. Tandem eisdem rationibus excusandus esset homo peccator, nam cum moveatur a Deo qui est ultimus finis, illa actio non erit contra, neque præter ultimum finem, quia Deus omnia movet ad se ipsum, et actio instrumenti, et principalis agentis ad eumdem finem tendunt: nostra autem voluntas, ut ipsi dicunt, dum peccat, est instrumentum Dei. Quod si dicant hominem peccare, quia prava intentione vult, quod Deus vult bona: jam quæram de illa prava intentione, utrum sit vel a Deo, vel a solo homine; si a solo homine, habeo non posse esse peccatum, cum non sit a Deo; si a Deo, jam ipse est auctor prævæ intentionis, artifex enim auctor est, ut suum opus deterius fiat, juxta Augustinum, tract. 53, in Joann., ubi loquitur de peccato Judæ, et lib. 5, Hypognostricon., Nazianzenum, oratione prima contra Julianum: *Ejus providentiæ consiliis non ille ad malum excitatus est*, et Eusebium, libro 6, de Præparatione, cap. 5: *Impius profecto judicabitur, imo vero pessimus omnium, qui a creatore omnium alios ad adulteria, alios ad alia vitia impelli arbitretur.*

7. *Tertia propositio bipartita.* — Tertia propositio. Deus omnia peccata quæ fiunt, permittit, idque justissime. Est de fide: et prima pars patet, quia peccatum non posset committi Deo absolute nolente: nam ad ejus omnipotentiam pertinet, ut quidquid absolute vult, fiat; ergo, etc. Secunda pars probatur, quia velle permittere peccatum non est aliud,

quam velle hominem habere liberum arbitrium et formalem usum ejus, eo modo quo illi naturale est, non addendo illud donum quod illi necessarium est ut quis infallibiliter non peccet, sed totum *hoc velle*, ut recte Augustinus ostendit, lib. 7, de libero Arbitrio, cap. 5 et 9, est justissimum, tum quia velle conferre rebus naturales proprietates, per se bonum est, et nolle dare perfectiones supernaturales non est malum, alias teneretur Deus vel non creare hominem, vel non sine supernaturalibus donis. Præterea hæc voluntas permittendi præterquam quod ex objecto bona est, habere potest plures fines honestissimos, et rectissimos, qui omnes ad gloriam Dei manifestandum spectant, de qua re, 1 part., quæst. 19 et 22, latius. Videatur Augustinus, in Enchirid., c. 9, et de Bono perseverationis, capite decimo, et ultimo de Civitate, cap. ultimo.

8. *Quarta propositio.* — Quarta propositio. Deus effective concurrat ad totum actum peccati quatenus ens, et actio realis est. Est certa, et multis videtur de fide, quia Scriptura dicit omnia fieri, et conservari a Deo, Joan. 1: *Omnia per ipsum facta sunt*, Actorum 14; *Qui fecit cælum, et terram, et mare, et omnia*, etc., ad Coloss. 1: *In ipso condita sunt universa*, etc., ad Hebr.; *Per quem fecit et sæcula*: et infra, *Tu, Domine, terram fundasti*, etc., sic sentiunt theologo cum Magistro et divo Thoma, in 2, dist. 37; Augustinus, libro de Moribus Manichæorum, capite 2, et de Natura boni, cap. 24, et 12 de Civitate, cap. 8, optime Anselmus, libro de casu Diaboli, cap. 7, et de Conceptu Virginali, cap. 4. Ratio sumitur ex generali influentia primæ causæ, et concursu ejus, de quo alibi latius agitur, contra Durandum, in 2, dist. 1, q. 5, et dist. 37, q. 2, qui ausus est id negare. Vide disput. 22, Metaph., sect. 1.

9. *Quinta propositio de fide ostenditur.* — Quinta propositio. Deus ita concurrat ad actum peccati, ut nullo modo causa, vel auctor peccati consensus sit. Est de fide, et primo patet ex dictis secunda conclusione. Secundo, quia quidquid Deus facit, bonum est, Genes. 1, et Sapientie 11, *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: odit autem peccatum, Sap. 4. Tertio, non aliter esset a Deo peccatum, quam actus virtutis, contra Oseæ, *perditio tua ex te Israel*. Quarto Scriptura sacra tribuit peccatum homini, et Dæmoni, et negat Deo, 1, Joan. 3: *Qui facit peccatum ex diabolo est, non ex Deo*, Joan. 8: *Qui loquitur mendacium, ex propriis loquitur*: et Sapientie 1: *Deus mortem non fecit*, scilicet

quatenus ex peccato. Quinto, sunt omnes illæ Scripturæ, quibus dicitur Deo displicere peccata, et severissime illa prohibere et punire: non est autem ipse auctor ejus, *cujus est ultor*, ut dixit Fulgentius et refert D. Thomas. Sexto faciunt illæ Scripturæ, quibus dicitur Deum velle salutem hominum, et movere illos ad bonum; ergo non ad malum, quia omnino Deus esset sibi contrarius. Septimo, definitur in concilio Tridentino, sess. 6, c. 5 et 6, Arausicano, cap. 25, et Lateranensi, sub Alexandro III, c. 34. Octavo, est communis Patrum traditio; ita Basilius, homil.: *Quod Deus non est auctor malorum*, Chrysostomus, homilia 87, in Joan., Hieronymus 4, contra hæreses, cap. 48, Origenes 3, de Principio, cap. 2, Hieronymus, Ecclesiastici 7, et Ezechiel. 5, Gregorius 29, Moralium, cap. 21, Ambrosius, 1. de Paradiso, cap. 15, et Psalmo 4, Augustinus, lib. 2, de libero Arbitrio, cap. 20, et lib. 3, cap. 13: *Peccatum (inquit) non potest Deo tribui, nam dum peccatum vituperatur, auctor naturæ laudatur, propterea enim malum est, quia a Deo avertit, propterea hoc vituperabile est, quia Deus summum bonum est*. Idem, libro de Spiritu et Littera, cap. 31, et lib. 2, de Peccatorum meritis et remissione, cap. 17 et 18. Nono ipse quoque philosophi antiqui gentiles hoc cognoverunt. Plato, libro 2, de Republica: *Malorum (inquit) alieni causam esse Deum, cum bonus sit, refellendum, et omnino neque permittendum hoc quandoque dicere in civitate, si bonis instituta legibus civitas esse debet*: plura refert Theodoretus, lib. 6, de Affectionibus Græcorum, Eusebius, 1. 4, de Præparatione, cap. 11, ex Porphyrio et aliis, et lib. 6, cap. 7, ex Homero, et lib. 13, cap. 2, ex Timeo Platonis.

10. Tandem arguitur ratione, primo ex dictis, nam peccare est peccatum committere: ostensum est autem Deum non peccare; ergo ostensum est autem Deum non peccare; ergo neque peccatum efficere: atque adeo neque esse causam ejus. Confirmatur: nam Deus non consulit, neque movet ad peccandum, neque consentit ut quis operetur peccatum, ut peccatum est; ergo. Probatur assumptum, quia licet Deus concurrat cum causa deficiente ad actum peccati, non tamen concurrat cum illa ut deficiens est, atque adeo neque ut peccat. Quod sic amplius patet, quia Dei concursus de se est indifferens, et offertur ad actus tam bonos, quam malos efficiendos: et ex vi illius concursus nulla est actui adjuncta malitia, et non tenetur Deus, neque secundum rectam rationem convenit non offerre homini illum concursum

veluti indifferentem, ne illo male utatur, ut etiam ostendimus, propositione 3; ergo, etc. Simili enim modo etiamsi unus homo peccatum alterius permittat, vel aliquo modo quasi naturaliter cooperetur, veluti cum non tenetur vitare, nullo modo censetur causa, quod ex solutionibus primæ, et secundæ rationis magis constabit.

11. *Ad primum genus locorum Scripturæ in num. 2.* — Ad argumenta respondetur, et ad testimonia Scripturæ primo in genere retinenda est regula communis sanctorum, ut quando aliqua dæmonis, aut hominis improbitas Deo tribuitur, id *permissive tantum* explicandum sit: ita Chrysostomus, homilia 36, in Matth., Damascenus, lib. 4, cap. 20, et Augustinus, de Gratia, et libero Arbitrio, cap. 23. Jam ad primum genus testimoniorum. Respondetur illis posse probari quartam conclusionem nostram. Secundo cum Jeremias ait: *non esse in homine viam ejus*, id dicit, quia sine Dei gratia non potest gressus suos dirigere, ut ipse exponit. Pauli vero distributio est accommodata, omnia enim quæ Deus operatur, consilio voluntatis suæ operatur: peccatum autem non operatur. Reliqua vero loca de permissione intelligenda sunt, præsertim de illa, quæ continet specialis auxilii denegationem, ut sancti interpretantur, et ex contextibus clarum est.

12. *Ad secundum genus ibid.* — Ad secundum genus dicendum est cum Damasceno, et Augustino, supra, permissionem interdum in Scriptura dici actionem, imo, et præceptum nonnunquam, quomodo Christus Dominus quasi imperans dicebat Joannis 2: *Solvite templum hoc*, id est, occidite me, et Matthæi 23: *Implete mensuram patrum vestrorum*; et Joannis 13: *Quod facis, fac citius*, cujus sensus est, ego paratus sum quam citissime mori, et quod in me est, tibi permittitur ut citissime id facias. Advertendum est præterea effectum bonum secutum ex peccato, sæpe esse intentum a Deo per se, licet non per se intendat illum per hoc medium: videns tamen Deus voluntatem hominis propensam ad efficiendum id, quod ipse vult fieri, permittit, eum peccando id facere, ex quo ipse elicit bonum effectum, quem intendit: et hoc modo intelligi potest, quod dicitur voluisse Deum venditionem Josephi in Ægyptum, scilicet quantum ad effectum illius venditionis, nam, licet verba illa, cap. 51 Geneseos, aliis soleant modis exponi, tamen hic videtur proprius sensus, quod patet ex verbis: *Vos cogitatis de me mala, sed Deus vertit in bonum*: et hoc modo interpre-

tanda sunt omnia testimonia, quæ pertinent ad mortem Christi.

13. *Ad tertium genus ibid.* — Unus modus indurandi cor. — Ad tertium eodem modo dicendum est Deum per se et directe, nihil operari ad execrationem et obdurationem hominis, quia directe execrari est decipere, indurare autem est facere, ut homo in peccato perseveret; alterum autem est contra veritatem, alterum contra bonitatem Dei: ipse ergo homo est, qui directe, et proprie se indurat, Psalm. 94: *Nolite obdurare corda vestra*. Dicitur autem Deus indurare permissive duobus modis, primo non agendo aliquid circa hominem: et hoc non agere potest esse duplex, scilicet, vel non punire peccatorem, et quasi liberam facere illi viam peccandi, quod explicuit recte Origenes 3, Periarchon, cap. 1, ex vulgari hominum sermone, nam cum filius, aut servus ex nimia patris aut domini indulgentia insolentior sit, dicitur illum perdere, et adducit illud Ecclesiastici 30: *Tunde latera filii tui, ne forte induret*; et ad Romanos, 2: *An ignoras, quia benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam*, etc.; interdum vero non solum negat flagella, sed etiam specialia auxilia, quæ moraliter essent fere necessaria, ut homo resipisceret; ita Augustinus, epistola 105, ad Simplic., capite 2, et sermone 88, et Hieronymus, epistola ad Hedibiam., quæst. 10, tomo 3, et Gregorius, 11, Moralium, cap. 3, Chrysostomus, homilia 3, ad Romanos, utitur hac similitudine: qui in medio prælio relinqueret in manu inimicorum quem liberare posset, dicitur eum traducere. Idem Origines supra, et homilia 7, in lib. Judicum, Damascenus, et alii.

14. *Alter modus indurandi cor.* — Secundus modus indurationis permissive est, quando Deus aliquid facit cum homine de se quidem bonum, et bona intentione factum a Deo, ita tamen ut præsciat Deus illud futurum esse in scandalum et occasionem indurationis, et execrationis hominis: ita Origines, supra, et D. Thomas, in Commentariis ad Romanos, 9, Augustinus, Psalmo 104, et ibi Theodoretus dicunt hoc modo convertisse Deum corda Ægyptiorum, ut populo Israel dedissent innumera: scilicet sub præstando, ex quibus sciebat fore, ut Ægyptii sumerent occasionem concipiendi illud odium, et hoc modo exponit Augustinus, in illo lib. 5, contra Julianum, dum ait Deum non solum per patientiam, sed per potentiam indurare, quia non solum in-